

hæc & alia sunt provisa: frustra hymnum virginitatis exposui, quo gloriam propositam & observantiam pariter decantares. Seminavi fecus viam, seminavi in spinis, seminavi in petrosa terra. Aut enim ex corde tuo verbum meum volucres, id est, demones rapuerunt, aut malis suis cogitationibus suffocatum est, aut aruit nimio ardore libidinis.

Heu me, quia ubi me putabam ædificare aurum, & argentum & lapides preciosos: inventa sunt ligna sœpum, stipula, aridura materia. Laborasse ergo me dicam secundum Prophetam: Heu me, quia factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe. Et quidem si tibi sola damnum fecisses: erat quidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quantas animas hoc tuo scelere faucias? quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando. Aperuit in nos gentilitas os suum. Adversus Ecclesiam sanctam synagoga Judæorum per tuum dedecus exultavit. Quod si is qui unum scandalizaverit, mola circumdatus præcipitari debet in mari: quid de te pronuncias: de cuius scelere omnis anima fauciat est, & nomen Domini in gentibus blasphematum? Nonne quoties dicitur virgo, toties tibi cumulus iniquitatis accrescit? Jaces ecce vulnerata, jaces ecce prostrata. Cupio prodesse, sed subvenire non possum, quia totum caput in dolore est & totum corpus in mœsticia à pedibus usque ad caput: sicut ait Isaïas: Non est malagma imponere, infirmitas tua omne humane medicinæ excludit auxilium. Et licet tam boni quam mali iusta indignatione permoti, te omni depopulatione dedecoratam, omni tormentorum genere discruciatam, judicent morte multandam, aut ignibus exurendam.

Ergo tamen qui scio graviora facinoris servari tormenta, & sine fine impias animas manere cruciatas: non temporalem utique, non animam perditurus ego: sed secundum divinam sententiam dabo consilium. Solum enim & unicum tentandum est remedium illud, quod divina vox per Ezechielem miseris porrigit. Nolo mortem, inquit, peccatoris: tantum ut convertatur & vivat. Et iterum: Post hoc inquit, dixi: Convertere ad me, nunquid resina non est in Galaad: aut medicus non est ibi? Quare non ascendit sanitas filiarum populi mei? Hæc utique dicta pœnitentiam sapiunt: hæc sententiæ Dei, vocant ad pœnitentiam, revocant ab errore. Pœnitudo ergo est necessaria lapsis: vulneratis necessaria medicamina. Sed quanta putas & qualis necessaria est: ut aut æquet crimen, aut certè excedat.

Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterii est, aut duplex: duplex ergo fit per illam necem quæ facta dicitur in oculo: & secundum conscientie molem exhibenda est pœnitentia magnitudo. Pœnitentia autem non verbo agenda est, sed facta. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos proponas de quanta gloria lapsa fueris: & de quo libro vite nomen tuum deletum sit: & te jam postquam credas prope ipsas tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide sicut est, animo conceperis: quia necesse est peccatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi: nec aliud esse remedium constitutum post unicum baptismam quam pœnitentiæ solatium, quantumvis laborem & indecorum subire contende, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.

Ergo hæc tecum cogitans, & mente contractans, facti tui ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vite hujus intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima sicut es, quomodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens & membra singula digna castigatione puniendi. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxurie præstiterunt. Defluant oculis lachrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Palleat facies, quæ quondam irruvit impudicè. Totum denique corpus injuriis & jejuniis maceretur: cinere aspersum & cilicio perhorrescat: quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquefens tanquam cera in jejuniis, inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis, cum haberet dominationem, malum gessit imperium.

Talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit hic sperare, si non gloriam, certè pœnæ evacuationem: Dicit enim Deus: Convertimini ad me, & convertar ad vos. Convertimini in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & luctu: dirumpite corda vestra, & non vestimenta: quia Deus pius

& misericors est. Sic conversus ille magnus David iustificatus est. Sic Ninive peccatrix illa civitas, incumbentem sibi evasit interitum. Peccator ergo si sibi non pepererit, à Deo illi parceret: & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vite spatio compenlaverit, seipsum ab æterno iudicio liberabit. Grandi plage alta & proluxa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.

Non est dubium levius esse crimen, ubi homo peccatum suum ultro confitetur pœnitens. At ubi cælans mala sua invitus detegitur, & nolens publicatur: illud gravius scelus est: quod utique tibi provenisse negare non poteris. Et ideo fortius est dolendum, quia peccatum est fortius. Si mente cernerent homines quale iudicium emittet Deus mundo: sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculi, si non infidelitate gravarentur. Quantumvis, & qualemvis cruciatum ad præsens libentissimè sufferrent, etiam si esset longior vita, dummodo illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insite misera, fortiter inhære, tanquam naufragus tabula, sperans per ipsam te posse de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ usque ad exitum vite tue: nec tibi præsumas ab humano die posse veniam dari, quia decipit te, quicumque tibi hoc polliceri voluerit: quæ enim propriè in Domino peccasti, ab illo solo quare remedium.

In corruptoem inveitio.

DE te autem quid dicam fili serpentis, minister diaboli, violator Templi Dei: qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique & sacrilegium? Sacrilegium plane ubi vas Christo oblatum, Domino dedicatum, demerenti temeritate polluisti: Sicut Balthasar ille Persarum, qui quia in vas dominicis, quæ de templo Jerusalem fuerant à patre ejus sublata, bibere cum suis amicis & concubinis usurpavit, ipsa nocte angeli manu percussus, crudeli morte punitus est. Quid de te arbitraris, perdit pariter, & perdit, qui vas rationale consecratum Christo, sanctificatum Spiritui sancto, temerarie impietatis sacrilegio polluisti: & tui propositi immemor, & iudicii divini contemptor. Melius enim fuerat te fuisse non natum, quam te sibi gehenna proprium filium vendicaret. Et licet te ipsum conscientia sceleris agat per diversa præcipitem: fugit enim impius nemine persequente: licet & dixæ peccati imagines dormientem quoque perterreat, nedum vigilantem: tamen cum neque à pastore etiam ovi morbide vel mortura denegatum sit pœnitentiæ remedium:

Do consilium: petas ultro carcerem pœnitentiæ, obruas catenis viscera, animam tuam gemitu jejuniisque discrucies, sanctorum petas auxilium, jaces sub pedibus electorum, ut non tibi per cor impenitentis thesaurus iram in die iræ & ultimi iudicii Dei, qui reddet singulis secundum opera ipsorum. Nec te in eorum numero constituas, quos lugeat Paulus. Qui ante peccaverunt, inquit, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & libidine, quam gesserunt. Nec tibi de multitudine peccantium similibus blandiaris & dicas: Non solus hoc egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma & Gomorra, & in totis quinque civitatibus innumerabiles utique habitabant: sed ecce omnes pariter qui libidinosè corpora sua tractaverunt, imbris igneis conflagrati sunt: solus autem Loth de illo inevitabili incendio effugit, quia ab illa turpitudine se præstiterat alienum. Excluide ergo vel nunc infelix, de corde tuo blandimenta serpentis: & luctu & fletibus dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquire: semper ante oculos habens Apostoli sententiam: Quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui secundum quod gessit, sive bonum sive malum.

Ad lapsam consolatio.

QUIS consolabitur te virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua? Effunde cor tuum sicut aquam coram facie Domini. Extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primò quidem nullo die quinquagesimus psalmus intermit-

tatur: qui in negotio tali cantatur usque ad versiculum illum: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit: gemitu lachrymisque percurte. Insuper hanc lamentationem, non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut deseam vulnera animæ meæ? Conversi sunt dies festi mei in luctum: cantica mea in lamentationem. Recessit sonus hymnorum, & læticia psalmorum, & successit dentium stridor, & fletus oculorum. Obmutui, & humiliata sum, & silui à bonis, & dolor meus per singulos dies renovabitur. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardebit ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Abyssus circumdedit me, extremo dimiserit caput meum in scissura inferi.

Heu me quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorra. Quis miserebitur cineri meo? Durius offendi quam Sodoma, quia legem neficiens illa deliquit: ego accepta gratia peccavi. Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat. Ego peccavi in Domino, quem propitiorem inveniam? Concepi dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum fodi, & incidi in foveam quam operata sum. Ideo conversus est dolor in caput meum, & in vertice meo iniquitas mea descendit. Immundicia mea ante pedes meos, non fui memor novissimorum, & cecidi miserabiliter, nec est qui consolatur me.

O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? subito defeci, perii propter iniquitatem meam, velut somnium surgentis. Ideo in civitate Domini vilificata est imago mea: deletum est de libro nomen meum. Facta sum sicut nyctacorax in domicilio, sicut passer unicus in ædificio, nec qui consolatur me invenio. Considero à dextris & video, nec est qui cognoscit me. Perit fuga à me, & non est qui requirit animam meam. Facta sum sicut vas perditum. Audivi vituperationem omnium circumhabitantium. Væ dici illi, in quo me infelicem genuit uterus, & lux ista crudelis accepit. Oportuerat me potius non fuisse natam, quam sic in gentibus facula fierem. Propter me confusio & improprium factum est famulis Domini & eum dignè colentibus.

Lugete me montes & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugeat me bestia sylvarum, reptilia terræ, & volucres cœli, & omnes animæ, quæ vita fruimini. Nunc vos beata fera & volucres, quibus nullus metus de inferis est, neque postmodum reddituræ estis rationem. Nobis manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum delinquimus. Ideo non est pax peccatoribus. Meum peccatum, mea iniquitas non sunt Pax illi offeris hominum: quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem, & castitatem professam. Mentita sum in Dominum altissimum: ideo non est mihi fiducia invocandi Dominum altissimum, quia obstructum est os loquentium iniqua. Nam malum meum Propheta cecinit, quod qui elongat se à Domino, peribit. Disperdit omnem fornitantem à se. Et si abest lingua faucibus meis, & in pulvere mortis deducta sum: veruntamen clamabo ad Dominum. Adhuc tempus est, dum datur spatium, quia in morte non erit memoria. In inferno non est confessio. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagitta tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea. A vulu ira tuæ, non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Computruerunt & deterioraverunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum, & curvata in sinem, rugiebam à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum est, defecit me fortitudo mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Deus repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, porcionasti me vino compunctionis. Expulsa sum ab oculis tuis, jam non adiciam ut respiciam ad templum sanctum tuum, facta sum in exterminium. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid mortuis facies mirabilia? Tuus sermo est, tua promissio est: Nolo mortem peccatoris, sed conversionem.

Ut possim vivere ad te Deus converto me, qui solus potes novare omnia: Tu ab inferis animas revocas, & solvis compeditos: Tu Deus erigis elisos, cæcos illuminas, mortuos suscitans, erravi sicut ovis perdita, quare famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Sed & tuum consilium tecum est. Quot

sunt dies famulæ tuæ, quando facies de me iudicium? Sed ne intres in iudicium cum famula tua. Defecit anima mea in salutari tuo, defecerunt lachrymis oculi mei, effusa est in terram gloria mea. Quando respicies propter iniquitatem. Corripisti hominem & tabescere fecisti sicut araneam animam meam. Memento Domine quod pulvis sum. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero. (Sordidatam non aspernas me, in ira tua Domine: Sufferam, quia peccavi tibi. Credulitate Domine iustifices causam pœnitentiæ. Confessionis perseverantiam tribue, ne me induret deceptor. Mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio: & in æternum tibi adhaerere Domine Deus meus.)

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Hæc nec inloquens est, nec indocta, quamquam ab Hieronymiana dictione longe lateque distans. Magis autem Paulinum respicit quam Augustinum. Nam si verus esset titulus, qui testabatur ab Hieronymo scriptam ad Evagrium: si ad Episcopum scribit Evagrium, stultum est eum vocare fratrem: si ad nondum Episcopum nulla vestigia familiaritatis in Epistola.

IN EVAGRIUM OBJURGATIO,
quod levitiam lapsum non consolatus sit.

NISI vereretur beatissime frater, ne inter simulatos amicos Job, mihi portio poneretur, qui videntes plagam ejus, veluti qui non haberent consolationem, jugi silentio quieverunt: prope fuerat, ut ego superposita manu ori, & obdurata lingua fistula, januas laborum meorum taciturnitate concluderem. Sed absit hoc à fide mea, ut aliquam plagam dicam esse, quæ non habeat consolationem, cum mihi Propheta proclamet: Nunquid medicus non est in Galaad: aut resina non est illic? Quare non ascendit sanitas filiarum mearum? Galaad enim acervus testis interpretatur: & hunc acervum testem, totum canonem divinatorum librorum esse sentimus, ubi indissolubilem cumulus testimoniorum, velut quidem congestus est lapidum: in quo cumulo medicus versus Deus meus Jesus Christus, si quæsitus fuerit, invenitur. Resina autem quid nisi continentie virtus est, quæ dissoluta conjungit, & scissa conglutinat? Quod nos scientes non dubitamus ad consolationem plage quæ contigit, oris nostri lamenta miscere. Audivimus enim horrendæ cladis excidium, audivimus exultantes de ruina Christi, milites Sathan: & jubilatio vocis quam in triumpho suo diabolicus dedit exercitus, ad aures nostras usque pervenit. Et testem Deum invoco in animam meam: quia ita commota sunt viscera mea, ita contremuerunt ossa mea: ut omnem partem corporis mei sentirem eadem plaga torqueri. Absque damno meo hoc accidisse non dixerim malum, ubi membra corporis mei diabolica sagitta percussit, cum Apostolus dicat: Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

Sed non admittitur animus meus in totum lamentationi vacare vel fletui, quia & adversum vos mihi est locus irascendi. Ecce contra communes inimicos processit vobiscum frater in prælio, qui subito prostratus est casu. Hunc vos nec sepulture dignum iudicatis honore, sed reliquistis eum feris, & alitibus devorandum. Ubi est misericordia Christianæ religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce jacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans: & vos quia sine vulnere revertimini, ne consolationem quidem obrulistis. Nolite esse sine formidine beatissimi fratres, fortiorem percussit inimicus, ut celerior ei postmodum aditus esset ad reliquos. Ut quid rogo spernitis vulneratum, aut sicut putatis & mortuum? melior illa respa concubina Saulis, quæ corpora mortuorum, quæ David pro Gabaonitarum ultione percussit, eo usque accincta sacco, hoc est cilicio, custodivit, donec eis toraret aqua de cælo, id est, donec pro venia eorum misericordia cælestis deflueret. Melior ille Judas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos furata de Jamnia civitate idolorum dona prostraverant.

Ut quid rogo medicus noster inter librorum suorum loculos tot constituit genera pigmentorum, si nihil est ex emplastris

ejus, quo possit sanari vulnus quod infligit inimicus? Ita ne fieret aliqua plaga, quæ scientiam nostram lateret archiatri, cui nequaquam artis suæ peritia provideret? Et si placet aperiamus scholam medicorum nostram, & à principio canonis & vlnorum & medicaminum species requiramus. Et ecce in limine ipsius scholæ occurrunt illi feminis carnalis auctores, qui venenato serpentis ore percussis, non statim perpetua pœnæ mortis additi sunt, sed egesti de paradisi deliciis, id est, de Ecclesiæ libertate, & sacri communionis mysterii, ideo temporaliter sub typo mœroris tribulationisque damnati sunt, ut malagmate pœnitentiæ sanarentur, & ulque eo à ligno vitæ, id est Christi participio exules fierent: donec ad illam, aut per romphæam, id est, ignitam martyrii passionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur multitudo scientiæ commeatent. De quibus nunc per singula non est temporis loqui.

Quid vero ille fraticida, cui ob mandatum signum imponit, ne ab aliquo possit occidi? Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Non longe ab his distat ille princeps patrum, qui primus credidit: & reputatum est illi ad iustitiam, qui captum ab hostili legione filium fratris, assumpta vernaculorum turba eripuit, quem postmodum de Sodoma plaga, id est, de incendio gehennæ, habito cum divina maiestate colloquio, hunc liberationis suæ merito liberavit.

Et tu ergo assume vernaculorum turbam, id est, proprio opere tuo non alieno, fratri auxilium præsta captivo. Loquere cum Domino, hoc est ora, ad opus eorum accingere qui stuprum sororis in alienigenarum manibus incidentis, non solum horruerunt, verumetiam vindicaverunt. Require tamen qui ultores fuerit peccati. Nonne Simeon atque Levi? Et tu qui ex tribu Levi es, qui Ecclesiastico servis officio (Simeon autem obediens interpretatur:) tu ergo qui obediens fuisti Dei voluntati, inobedientem animam liberare aut vindicare cur cessas? Anima enim fratris soror tua est: quam si passus fueris alienigenis servire, peccasti.

Sed dicis forsitan, Levita est ille qui cecidit, non potest ei jam remedium medicina conferri. Erras frater, erras, recurre ad scholam medicorum. Ecce in secundo loco, id est Exodi libro, ubi totius populi vulnus plagaque describitur, etiam Levitæ peccata referuntur, qui priores ad corruptionem legiflatoris, emendati esse perhibentur: & non tam in eis peccati crimen arguitur, quam velox conversio in pœnitentiæ celeritate laudatur. Cui rei simile etiam in Ezechiele Dominus noster dicit de Levitis: Qui primi à me exierunt, cum errasset Israel. Ipse quoque pontifex ad suggestionem populi idolum fabricavit, pro quo orante Moysè, fraterno liberato auxilio. Sed dicis forsitan: adhuc nec levitæ sanctificati erant, nec pontifex consecratus, cum istius mali crimen commissum est.

Non contradico peritiæ tuæ, quam ex scripturarum voluminibus concepisti. Tamen sic possem respondere tibi secundum Apostolicam sententiam, qua loquitur ad Hebræos: quia in Abraham lumbis latens Levi, decimas à Melchisedec accepit & dedit. Aut ipse Aaron, quid tibi minus videtur habuisse de pontificali honore vel gradu, cum Ægyptios signis percussit horrendis, & egredere nocte cum populo, & sanctum pascha celebraverit? Scimus autem quia sine sacerdotem pascha non potest celebrari. Sed prætermisissis his interrogare te volo: quid erat Aaron, cum adversus Moysen invidia livore percussus, iuncta sibi Maria, murmuravit?

At fortasse dicas: minus est invidia quam fornicatio. Lege ergo beatum Apostolum, qui dicit: Neque fornicarii, neque invidi, neque maledici, neque avari, neque detractores, regnum Dei consequentur. Vides ubi velut æqualia sibi similiaque junguntur: quæ ad cœlorum regna non subeunt. Et advertite cuius pœnæ sententiam mereatur invidia: pro qua prophetilla Maria lepræ fœditate percussit: vel cuius avaritia, pro qua Giezi Helisæi minister simili sorte damnatur. Tu ergo qui avarum non detestaris, qui invidum non refugis: fornicatorem fratrem, & ad tempus ruentem, æternæ mortis pœnâ condemnas? Nec ideo hoc dicimus: ut peccandi frena laxemus: Sed advertat quisquis hæc legerit, quia non viventibus loquimur, sed mortuum consolamur. Denique resurgat: & videbis, quia statim ei trademus psalmistæ verbum dicentis: Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Accipiat ergo virgam correptionis, & baculum quo su-

stentari possit infirmus, ita enim intelligimus Apostolum: Quia neque invidi, neque fornicatores, neque avari, neque aliena appetentes, regnum Dei possidebunt: id est, quos in hoc vitio tempus recessus invenierit. Quia alibi Dominus dicit: Unumquemque in viis suis iudicabo. Et ipse Apostolus ait: Quales antea fuerint, nihil mea interest. Et in Epistola sua beatus Joannes, orari mandat pro fratre qui non habet peccatum ulque ad mortem. Credo qui non ulque ad extremum vitæ finem, peccatorum suorum malis fuerit subiectus. Nam de Levitis, quod superius dixerat non eos fuisse sanctificatos, qui tamen peccatis fuerat polluti, quid tibi videtur illud in beati Esdræ libris: ubi reversi de captivitate Babylonis, & restructis nuper Templi Domini fundamentis: non solum plebs vulgi, verum & sacerdotalis familia: & illius Jesu magni, inventur moribus alienigenis, hoc est Syris, Idumæis, Moabitibus & Ammonitis esse permixta: Qui tamen omnes peccati ejusdem accipientes consilium Esdræ: & rejicientes mulierum alienigenarum consortia, forde caruerunt. Unde vides, quia sicut peccati contagione maculamur, in expulsiōne ejus abluimur.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Ipse phrasim indicat hanc ejusdem auctoris esse, cujus est quæ proximè præcessit, nempe Paulini.

HORTATUR MILITEM SÆCULI, ut Christo militet.

ET si ignotus tibi sim facie, jam tamen te corde cognovi: quia filius meus in Domino charissimus Victor, referens mihi religiosam vitam tuam: fecit ut te (quamvis absentem) cognoscerem & sicut consortem futurum in Christo diligere inciperem. Retulit enim mihi quomodo & in militia seculari (in qua adhuc tu teneris) socius & secutor contubernii tui fuerit. Unde magis præsumpsi scribere ad te per ipsum. Spero etenim te ex eadem via ad viam nostram esse venturum. Quandoquidem istum de tuis sociis ad nos præmisisti: quem pro pignore tuo Ecclesia tenet, ut te post eum capiat. Nihil enim est benedictæ fili, quod possit aut debeat præferri ei, qui est verus Dominus, & verus pater & imperator æternus. Cui enim rectius vitam nostram impendimus, quam illi à quo accepimus, & cui eam usque in finem debemus? quia ipsius beneficio vivimus. Si tamen in hoc sæculo ipsi militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur.

Quod si magis dilexerimus hoc sæculum, & maluerimus Cæsari militare quam Christo: postea non ad Christum, sed ad gehennam transferemur: ubi principum hujus sæculi vertitur causa. Ideo nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias Deo præferre debemus: quia scriptum est: Præterit hujus mundi figura. Et, qui hunc mundum dilexerit, cum ipso & peribunt. Ideo ipse Dominus in Evangelio contestatur & dicit: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus.

De divitiis autem sæculi hujus, quas quidam pro summo bono & necessario amplectuntur & diligunt, ita dicit: Quia non proderunt thesauri iniqui: iustitia autem eripit à morte. Et iterum per Prophetam dicitur: Exterminati sunt omnes qui exaltati fuerant auro & argento. In Evangelio quoque clamatur atque prædicitur divites sæculi, dicens: Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Vae vobis qui saturati estis, quia esurietis. Vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Noli ergo diutius diligere hunc mundum, neque militiam ejus, quia secundum scripturam auctoritatem inimicus Dei est, quicumque est amicus sæculi. Et qui militat gladio, mortis minister est. Qui autem suum vel alienum sanguinem fundit, hic recipiet fructum stipendiorum. Aut enim exitii mortis tenebitur reus, aut criminis. Quia necesse est, ut miles in bello, in quo tamen non tam pro se quam pro alio dimicet, aut suam mortem victus inveniat, aut mortis causam victor acquirat: quia victor esse non poterit, si effusus sanguinis ante non fuerit. Ideo dicit Dominus: Non potestis duobus Dominis servire. Sed quia uni Deo servientem est, facile potest discerni: cui potius serviri debeat: Deo an mammonæ, Christo an Cæsari: cum ipse Cæsar Christi servus studeat esse: ut aliquarum gentium rex esse merea-

tur. Neque enim quicumque rex terrenus, totius terræ Dominus est. Christus autem totius mundi rex est: quia omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Et ipse est rex regum, & Dominus dominantium: & in terris, & in mari, & in abyssiis omnia quæ vult facit.

Hunc igitur sequamur: huic militemus: cui conjunctus nunquam disjungitur miles, qui militantibus sibi, gloriam vitæ æternæ, honorem regni cœlestis, & divitias hereditatis suæ, & divinæ cognitionis consortium perenne largitur. Scriptum est autem: Qui pecuniam diligit, non justificabitur: & qui terrenas possessiones concupiscit, in illis (sicut scriptum est) implanabitur. Nam in Ecclesiastico per Salomonem loquitur divina sapientia: Quia multi periclitati sunt auri causa: & facta est in facie illius perditio ipsorum. Lignum, inquit, offensiois ejus est aurum: & deicit illos qui sectantur illum. Sed non omnis nisi imprudens disperiet in illo. Quamobrem fuge ab illo filii, sicut à facie serpentis, credens Christo: qui in Evangelio testatur omnibus hominibus: Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet.

Sed te forsitan atatis tuæ fiducia, & stipes dignitatum, vel divitiarum augmenta sollicitant, ut dicas: adhuc juvenis sum, est nunc tempus ut parumper militem, & uxorem ducam, & filios habeam, & postea Deo serviam. Ad hæc tibi respondet: non ego, sed Dominus: qui loquitur in Prophetis & Apostolis suis: & sapiens dicit: Ne tardaveris converti ad Dominum, nec differas de die in diem, ne subito veniat ira illius. In Evangelio autem quo ardore proferendum sit ad conversionem, ostendit cum dicit: A diebus autem Joannis usque in hodiernum diem, vim patitur regnum cœlorum: & qui vim faciunt, rapiunt illum. Talis violentia Deo grata est, quæ neminem concutit, nullius damno committitur. In hanc rapinam manus tuas verte, quæ crimen non habet & confert salutem.

Et quid tibi militarium stipendiorum curationes, cum invidia violentiæ curare: cum forsitan pro tua honestate etiam debitorum moderatus exactor sis? cum sine cujusquam invidia, & cum Dei gratia possis esse violentus: ut raptas regnum cœlorum: quod sibi auferri patitur, & gaudet Christus invadi: qui pro abundantia charitatis & potentie suæ cæpax est largiendi quod tenet, & quod donaverit obtinendi. Nam quando sanctis suis in regno suo regnare concesserit: ipse regnabit in illis quos confortes regni cœlestis assumpserit. Scriptum est enim: Et regnum Dei cum sanctis fore: & ipsos sanctos esse regnum Dei: quod propitio Deo cum conversus fueris, & legendo cognosces, & credendo intelliges. De atatis autem flore primo quis audeat gloriari? Admonet divina scriptura, dicens: Omnis caro fœnum est, & omnis claritas ejus, ut flos fœni. Aruit fœnum & flos decidit: sermo autem Domini manet in æternum. Ideo propheta, illa potius in quibus æterna corporis redivi gloria post resurrectionem posse manere, desiderans clamat: Quam amabilia sunt tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.

Et de vinculis conjugaliibus & ceteris temporalium rerum tam spinosis quam inanibus curis, Apostolus (in quo Christus loquitur) admonet, ne in longum hujus sæculi tempus irrita vota mittamus: & cognoscere nos jubet, quia tempus brevium est: & dicit, Reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes. Quod cum dicit: ostendit liberos non debere implicari: quandoquidem liberari suadeat impeditos. Si ergo jam forsitan alligatus es uxori: noli querere solutionem. Quod si adhuc liber es ab uxore, noli querere implicationem. Non enim Apostolus propter conjugii condemnationem hoc dicit: quandoquidem hujus fœderis religionem, magno Christi & Ecclesiæ sacramento comparat: sed propter instantem necessitatem bonum esse asserens hominem sic esse quemadmodum ipse erat. Volo, inquit, vos sine sollicitudine esse: hoc est, ut nihil præter Deum & salutem nostram cogitemus. Nam uxor & filii, quamquam & ipsa divinitus nobis pignora data sint, tamen gravissimum curarum onera sunt. Unde idem Apostolus ait, Quia tribulationem carnis habebunt hujusmodi: quia necessitudines nostræ carnales, quanto chariores nobis sunt, tanto magis nos discrediant & fatigant. Nam uxore accepta, primum optantur filii, & si non susci-

piuntur, sterilitas lugetur: si suscipiuntur, orbitas timeretur. Ac proinde nunquam in carnalibus affectionibus, ita requiescit animus, ut cruciatu careat, dum necessitudines suas, aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto: in utroque miseris sustinendis semper obnoxius. Miser est enim qui uxorem bonam perdit, miserior qui malam possidet. Inter hæc duo accidentia, satis facilius est qui utrumque non novit.

Similiter & de filiis: sapissime enim sunt miserimi parentes, vel qui amabiles habent quibus orbantur, vel qui tales habent, ut non habentibus invidere cogantur. Audi ergo fili mi & inclina aurem tuam mihi, & dirumpe omnia vincula tua quæcumque in hoc sæculo te implicatum tenent: commuta in melius militiam, ut æterno regi incipias militare. Et nunc ut audio, qui adjutor & tutor es civium, has comes Christi. Deinde in hac militia soletis in votis habere hanc officii promotionem, ut protectores efficiamini. Si autem Deo te probaveris, ipsum Deum incipies habere protectorem. Vide ad qualem militiam te invito collegam: ut quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit. Quem si ceperis sequi: & in ejus comitiva inceperis militare, finis militiæ tuæ erit regnum, non terræ & temporis, sed æternitatis & cœli.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Stylus est non alicujus recentioris, Apparet fragmentum esse excerptum ex commentariis alicujus: nam & abruptum est initium, & similiter desinit ut incipit. Neque videtur cur quisquam hoc existimaret Hieronymo tribuendum, nisi forte deceptus hac conjectura, quod interpretatur aliquot voces Hebraicas.

† DE DECEM TENTATIONIBUS populi Israëlitici.

† Vide istas in Appendice 7 omi 11. no. 12. editio.

HÆC sunt verba quæ locutus est Moysès ad omnem Israel in transitu Jordanis, in solitudine campestri: contra mare rubrum inter Pharan, & Tophel & Laban & Hazeroth & auri abundantiam: undecim dierum iter de Horeb ad montem Seir usque Cades barne.

Hæc sunt verba quibus corripuit Moysès filios Israel pro decem tentationibus quibus Dominum tentaverunt. Unde Dominus in libro numerorum dicit: Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem vices, nec obediunt voci meæ: non vident terram pro qua juravi patribus ipsorum. Quas tentationes hic breviter & obscurè Moysès enumerat, dicens: In solitudine, in qua ostendit eos pro aqua penuria duabus vicibus tentasse Dominum.

De prima tentatione ita in Exodo legitur: Jurgatus populus contra Moysen ait: Da nobis aquam ut bibamus. Quibus respondit Moysès: Quid jurgamini contra me: cur tentatis Dominum.

De secunda tentatione ita in libro numerorum dicitur: Cumque indigeret aqua populus & cetera, usque ad eum locum in quo ait: Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

Tertia tentatio continetur in eo quod ait: In campestri contra mare rubrum: in quo loco murmurasse dicuntur contra Dominum: quia perimendos Ægyptios esse Moysi non crederunt, sibi de verbo Domini dicenti: sed potius eos se subsequi timuerunt. Unde dicitur in psalmo: Patres nostri non intellexerunt mirabilia, & cetera.

Quarta & quinta tentatio continetur in eo quod ait: Inter Pharan & Tophel & Laban. Pharan interpretatur, onager. Tophel, stultitia. Laban, album. Quod ita intelligitur: quia similes onagro facti filii Israel stulte egerunt tentantes Dominum duabus vicibus, super albo, id est, super manna? Manna vero album dicitur: ut est illud Exodi: Appellavitque domus Israel nomen ejus Man, quod erat quasi semen coriandri album. Una tentatio fuit super eodem manna: sicut in exodo dicitur: Hic est sermo quem præcepit Dominus: colligat ex eo unusquisque quantum sufficit ad vescendum. Et post pauca: Dixit ad eos Moysès, nullus ex eo reservet in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt eum.